



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illvstrivm Virorum Poemata

Cesarini, Virginio

Antverpiae, 1662

Typographvs Lectori Salvtem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7990

CA.
stellæ
itatis
d re-
fugij
ne ad
cipio
s ex
au-
ror,
itur,
sed
or,
bes
is.
PO-

TYPOGRAPHVS
LECTORISALVTEM.



Lurimum sanè detrimenti rei literariae ab ineptijs absurda & incastigata scribentium vulgantiumq; & hætenus illatum, & inferri magis in dies, Lector humanissime, vetus est, ut sæpè audio, doctorum & sapientium hominum querela; indeq; potissimum proficisci, quòd nostrâ tempestate nequaquam idem honor Musarum studijs est, qui antiquitus fuit, & qui propter excellentem eorum præstantiam ac dignitatem esse omninò deberet. Id autem præcipuum fatum esse aiunt literarum circa sermonem Latinum versantium: quæ tamen post earum usum non mediocriter intermissum, & usitata vulgò orationi posthabitu, maiore præsidio opus habent ad tuendam in animis hominum eam gratiam, quam sibi auorum nostrorum memoriâ flagrantissimam parauerant. Rursus alij eius incommodi causam intempestiue bonorum & elegantium scriptorũ modestiæ tribuunt, & cuidam supra modum rigido & censorio propria in opera supercilio, dum mediocritatem in pœticis (de hac enim parte humanitatis loqui nunc libet) iusto vehementius reformidant. Quamobrem partus ingenij sui plerumque pulcerrimos & absolutissimos nouercali prorsus animo premunt, luci q; publica, & eruditorum fructui subducunt, atq; inuident. Inter hos autem non pauci sunt, quibus ipsum pœta nomen non admodum gratiosum, aut plausibile videtur: qui propterea ne

* *

ab

AD LECTOREM

*ab hominibus censeantur, exiguo paucorum amicorum
 theatro ad obsequendū suis eā in re studijs contenti, la-
 tiorē nobilissimā artis gloriā sanē quā delicatē
 aspernantur, eaq; de causā rariū ad scribendū, & non
 nisi natura quodam impetu cogente, animū intendunt.
 Cumq; idcirco non habeant quo iustum volumen
 implere possint, cum exiguā supellectile prodire in pu-
 blicum, & ingenij sui angustias fateri ineptum iudi-
 cant: non Catulli, non Persij, non multorum præterea
 nobilium poëtarum exemplis permoti, quos pauci ad-
 modum versiculi æternos, & splendidissima apud
 posteros gloriæ compotes fecere. Ita fit, ut duorum vi-
 tiorum maximè inter se dissidentium operā thesau-
 rus literarius scrutis sese (ut ita dicam) & quisquilijs
 refertum inueniat, artiumq; præstantissima, ac diuinis
 olim insignis honoribus, magnā ex parte vetere suo
 splendore ac dignitate spoliatam queratur. Ac literariæ
 quidem vanitatis inuidiā natio vniuersa Typogra-
 phorum (utinam immerito!) laboramus, unā cum
 præclaro nostro & post homines natos nobilissimo in-
 uento, atque artificio, ut non desint pleriq; qui dubi-
 tent, commodine plus an detrimenti in genus huma-
 num intulerimus, dum copiā & multitudinē omnis
 generis librorū, quā nostro beneficio vtuntur homines,
 onerandi potius quā erudiendi subleuandiq; ingenia
 materiam præbemus. Eò itaq; maiore industriā niten-
 dum nobis est, ne in tantā splendescendi facultate
 excellentium ingeniorum monumenta (quod alterum
 ex propositis superius à nobis vitij est) lucis publicæ
 præmia & ornamenta desiderent, sine quibus pau-
 lum à sepultā inertia omnem humanæ virtutis præ-
 stantiam*

*stan-
 simo
 sent
 dien
 redu
 eius
 liter
 adm
 fasci
 ptior
 tiuu
 Cicer
 quer
 deran
 docto
 xi pu
 etati
 enim
 na et
 men
 spern
 exem
 ete
 uti p
 fuit,
 nostr
 alacri
 dum
 quam
 exper
 gurab*

PRÆFATIO.

stantiam distare non immeritò poëtarum præstantis-
simo visum est. Hæc agitati mihi, variasq; hanc in-
sententiam inter talium peritos disputationes au-
dienti vir eruditus & grauis commodum ab Italiã
redux occurrit post multos annos in cognoscendis
eius terra moribus hominibusq; consumtos; utq; est
literariæ elegantie studiosus in primis, & emunctæ
admodum naris, obtulit allatum inde Carminum
fasciculum, quæ sibi inter multas eius generis scri-
ptionum Iliadas probari contigerat, & in quibus na-
tium illum Romani sermonis leporem, iam inde
Ciceronis æuo ab infusâ Vrbi peregrinitate (ut ipse
querebatur) corrumpi cæptum, non admodum desi-
derari visum est. Cumq; idem multorum prætereà
doëtorum virorum iudicium esset, operæ pretium du-
xi publici illa iuris facere, eaq; ratione vsui & dele-
ctationi literatorum haud mediocriter consulere. Etsi
enim veteribus scriptoribus immorari multò ad Lati-
næ eloquentiæ profectum utilius est: nequaquam ta-
men recentiorum in vetustate imitandâ industriam
spernendam puto, vel eam ipsam ob causam, ut pro
exemplo eâ & regulâ ad imitationem huiusmodi re-
ctè & cum ratione instituendam Latinè scribentes
uti possint. Simul illud etiam spectandum in primis
fuit, ut homines adolescentes perspectâ ingeniorum
nostri temporis in edendis Latinis operibus felicitate,
alacrius in persequendis literarum studijs sibi pergen-
dum existiment, dum eruditos suos labores nequa-
quam debito publicæ laudis & approbationis pretio
expertes quandoq; futuros proximo ab exemplo au-
gurabuntur.